Data Cracoviæ die 10. Aprilis 1699.

Copia Litterarum DD. Resefendi & Mauro Cordatti ad D. Paget.

Illustrissime & Excellentissime Domine Colendissime.

PLaceat Excellentiæ Vestræ recordari, quanta sollicitudine, institimus, & enixi sumus, vt Excellentissimus Dominus Legatus Plenipotentiarius Polonus quamtocius subscriberet suis Tractatibus, quo omnes hostilitates oportunò amoverentur: semper enim Tartarorum Occasionibus attenta insolentia suspitionem nobis præbebat, & curam nostram eliciebat ad compescendum illorum impetum, sed nescio quo fato Dominus Legatus Venetus prælaudatum Dominum Polonum Plenipotentiarium, sibi fecit obnoxium, ac diu multumque subscriptionem ejusdem protraxit, interea vero temporis Cassigir ejus Sultanus cum Turmis Buzaciensium Tartarorum incursionem instituit ante terminum temporis à subscriptione Tractatus statutum, quam Mandata Imperatoria statim sub severissimis pœnis edita prævenire non poterant, etiamsi verò nullam de exitu istius excursionis habeamus notitiam, tamen satis indolere non possumus, quod dilatio terminationis ac subscriptionis Tractatus tale quidpiam detrimentum afferre possit. Notum tamen atque compertum habeat Excellentia Vestra illico atque accessum habuimus ad fulgidam Portam maxima sollicitudine nos procurâsse restitutionem quorumcunque captivorum, quos Tartari poterant interea temporis abducere atque præterea animadversionem in Officiales, qui sine expressa facultate fulgidæ Portæ auserint se se contra Dominos Polonos invehere. Et sanè Excelsus Supremus Vezirius ista occasione voluit Argumenta præbere Suæ

benignitatis, qua nondum conclusam Pacem enixè protegendam susceperit, subinde & per se & per Celeberrimum recentem Chanum hîc modo præsentem tanta acerbitate contra insolentes istos invasores procedere sese resolvit; vt nihil vlterius possit optari. Cujus rei certiorem voluimus facere Excellentiam Vestram, vt ijs, quorum interest, notam faciat hac de re intentionem Alte memorati Supremi Vesirij, qui nec in posterum desinet severissimè animadvertere in illos, qui consimiles excursiones auserint perpetrare: interim, si quid de hac re ex Polonia scire contigeret, rogo nos instruere ne gravetur.

Excellentiæ Vestræ

Addictissimi, & Paratissimi Servitores & Benevoli

Resscendi.

Datæ Adrinopoli die 28.
Februar: anni 1699.

Alexandro Mauro Cordatto.